

1. Estne lingua Latina mortua an viva?

Instantibus atque humaniter rogantibus huius celeberrimi conventus moderatoribus ut Latine ex tempore quaedam verba proferrem, quin morem gererem facere non potui: neque, ut verum confitear, difficile fuit persuadere volenti.

Nam iam inde ab adolescentulo semper mihi Latine loqui gratum, immo gratissimum fuit: quem vero litterarum humanitatisque cultorem talis exercitatio loquelae non iuuet?

Praeterea haud supervacaneum est, hac praesertim iniqua aetate, qua litterae fere neglectae iacent, linguae Latinae amatoribus illorum temporum aliquatenus refricare memoriam, quibus homines totius Europae inter sese expedite Latine sermocinabantur, ne quis temere perperamque effutiat, ut inter aequales nostros saepenumero, pro dolor, fieri coepit, nullo prorsus modo nos recentioris memoriae homines, quibus Romanorum linguam cum lacte nutricis sugere datum a Fatis non est, Latinas sententias integro ac puro sermone ab omni vitio remoto proferre posse, quin Herculeos exanctemus labores atque manu diurna nocturnaue ingentia lexica spissasque grammaticas evolvamus ut e vernacula lingua in Latinum verbum de verbo transferentes orationem interpretemur animo conceptam. Licet vero, semperque licebit Latine loqui, Latine scribere, Latine sensa aperire nostra; neque desunt, hac quoque aetate, qui perbelle id fieri posse suis demonstrant operibus.

Duo sunt vero vitia vitanda: altera ex parte, ne, dum ornatam exquisitamque orationem componere conamur, unam exerreamus rhetorum artem, neglectis tamen argumentis, quae, quasi tantum materia sint ad copiose dicendum, per se omni pondere careant¹; altera vero ex parte ne Italice aut qualibet alia lingua cogitemus, et in Latinum sententias convertere nostras enitamur².

Tam alte enim Latinitate imbuendum est pectus nostrum, ut omnino Latine cogitemus, si quando nobis Latine loquendi aut scribendi occasio praebeatur.

Haec mihi praefato liceat tamen addere hunc *finem* in scholis nobis praestituere nullo pacto licere. Non enim debent discipuli nostri absoluti et perfecti Latini oratores evadere, neque decet eos studium collocare suum in arte Latine dicendi: licet profecto suo cuique Marte hanc dicendi facultatem exercere

¹ Cfr. Ae. Springhetti, *Selecta Latinitatis scripta auctorum recentium (saec. XV-XX)*, Pontificia Universitas Gregoriana, Romae, 1951, pag. X: «[...] norunt omnes consuevisse plures scriptores superioribus saeculis exquisitius verba quaedam, formas constructionesque rariores consecrari, magisque latinitatis peritiam ostentare ambitiose, quam, quae sentirent, simplici animo ac sermone proferre. Quo tamen vitio non omnes laborant; et qui peccant ipsi, non semper in omnibus peccant, at multa habent optima, quae quidem utiliter legere imitarique possunt, docentium praesertim ductu, quicumque linguae latinae discendae serio dant operam.»

² Hoc sibi persuasum habet, inter alios multos, Orestes ille Tappi, qui ita scripsit: «Chi pretende di "parlare latino" pensa (né potrebbe fare altrimenti) nella propria lingua per poi cercare i "corrispondenti" in latino.» (O. Tappi, *L'insegnamento del latino: i testi latini e la loro lingua nell'educazione moderna*, Paravia- B. Mondadori, Augustae Taurinorum, 2000, p. 28). Quod gratis assertur, gratis negatur; tamen hac falsa opinione imbuuntur fere omnes, qui iam inde ab adolescentulis Latine discentes nullam aliam exercuerunt facultatem, nisi converterunt ex Latino in Italicum et (magno cum labore) ex Italico in Latinum. At hoc, quod de lingua Latina ab his dicitur, si verum est, dici potest de omnibus linguis discendis: ergo prohibeamus linguae usu omnes, qui alieno sermone loqui velint. Sin contra falsum est de aliis linguis, non videmus qua de causa verum sit habendum tantum de lingua Latina: aiunt enim aequalium nostrorum mores et consuetudines a Romanorum longe distare: sed ante omnia lingua Latina non est neque fuit saeculis praeteritis tantum Romanorum sermo; praeterea certe Sinensium, Tibetanorum Iaponumque consuetudines et rationes cogitandi multo longius distant a nobis quam Romanorum: nihilominus sunt qui illis linguis loqui discant; quidni id fieri potest Latine? Quod, praesertim si de rebus loquimur antiquis, factu facilius erit, quam si velimus de iisdem rebus recentioribus linguis loqui.

privatim, et domi cum amicis Latine serio aut per iocum confabulari, neque quisquam tanta est tyrannica auctoritate praeditus, ut hoc facere volentes aliquomodo praepedire possit³.

In scholis vero, et praesertim in scholis publicis, nullus alius, nostra quidem aetate, rationabilis erit linguae Latinae docendae finis, nisi ut discipuli quam primum et quam optime ingentissimam operum Latine scriptorum copiam sine animi contentione legere valeant⁴. Sunt enim (et vel plures superioribus annis fuere) qui contendunt sermonis Latini studium eo spectare, ut discipuli quasi gymnice et athleticè mentes exercent suas in quadam analytica animorum palaestra⁵. Sunt vero alii, qui omnibus viribus suis autument nobis Latine discendum esse, quo melius grammaticas nostrae ipsorum linguae normas discamus⁶; alii tandem affirmant nullum alium nobis esse finem proponendum, nisi ut Romanorum

³ Ita videbatur facere velle Antonius ille Portolano in acroasi, quam habuit Venusiae, anno MCMXCVI, inter certaminis Horatiani celebrationes; quam orationem inscripsit: «Parlar latino... ma non è una cosa seria!»; ita autumare videtur P. Wülfing quoque, qui in commentariis, quibus index est «Aufidus», 40 (2001), pp. 99-104, symbolam conscripsit, cui index *Loquerisne latine?*; quae commentatio nihil aliud est, nisi Gallica interpretatio eiusdem symbolae iam ab eodem scriptore in commentariis periodicis quibus titulus «Der Altsprachliche Unterricht- Latein Griechisch» mense Maio anni MCMXCIX, pp. 60-61, edita erat. Quamquam P. Wülfing variis de causis (neque omnino immerito) adversatur usui "vivo", qui dicitur, linguae Latinae, non diffidetur tamen praesenti sermone in scholis uti magnae utilitati esse posse.

⁴ Cfr. id quod Kenneth J. Dover, qui inter optimos totius orbis Graecistas numeratur, scripsit in praefatione libri institutorii, cui index *Reading Greek*: «There is one criterion, and one only, by which a course for the learners of a language no longer spoken should be judged: the efficiency and speed with which it brings them to the stage of reading texts in the original language with precision, understanding and enjoyment.» (Joint Association of Classical Teachers, *Reading Greek*, Text, Cambridge University Press, Cantabrigiae, 1978, p. VII)

⁵ Vide, sis, id quod iam F. A. Wolf de hac re scripsit: linguae, eius sententia, «contengono l'intera riserva delle idee generali e delle forme del nostro pensiero [...] perciò otteniamo tramite le parole ed i modi di dire confrontati tra di loro non dei miserabili tesori fatti di molti segni tra di loro equivalenti, bensì una riserva che ci arricchisce realmente, fatta di mezzi per l'analisi e la sintesi delle nostre idee, riserva e tesoro a cui non si giunge per nessun'altra via; e su questa riserva poi si basano delle *esercitazioni* del nostro intelletto che procurano una destrezza ed un'agilità senza cui non può avvenire nessuna delle operazioni superiori dell'intelletto.» (F. A. Wolf, *Consilia scholastica*, ed. W. Körte, 1835, p. 91 ss.: locus laudatus est a Petro Wülfing in symbola, quae inscribitur *Le lingue classiche fra "cultura formale" e "corso di civiltà antica"*; quae symbola continentur in opere, cui index: *Per il latino: obiettivi e metodi nuovi*; agitur de actis in conventu habito Perusiae a die XII ad diem XIV m. Ianuarii a. MCMLXXXIX (IRRSAE, Perusiae, 1990, pp. 65-83). Recte, meo quidem iudicio, Petrus ille Wülfing commentatur: «Se [...] qualcuno pone la domanda: "Ma perché gli alunni devono studiare il latino, una lingua che viene parlata soltanto in alcuni casi eccezionali?", allora la nostra teoria del formalismo ci offriva un opportuno argomento: "In fondo quel che impari, non è latino. Tu eserciterai il tuo intelletto, la tua memoria, la tua pazienza, la tua capacità di concentrazione" [...] Oppure se qualcuno ci chiede: "A che cosa serve questo insegnamento che viene sempre di più abbreviato, limitato e sepolto sotto una valanga di altre materie? Ammettete dunque che non potete arrivare né ad un livello soddisfacente per quanto riguarda la conoscenza della lingua, né ad una conoscenza sufficiente della letteratura!" Così è di nuovo alla nostra disposizione l'argomento seguente: "Anche se possiamo offrire solo le basi della grammatica, soltanto un'introduzione ad alcune opere letterarie: noi, come nessun'altra materia, realizziamo l'addestramento formale per quanto riguarda la pazienza, la costanza, e la capacità di concentrazione e di combinazione» (*Ibidem*, p. 73). Si altera vero ex parte facere non possumus quin cum doctissimo illo viro docendi perito rationis "formalis", quam vocant, vitia carpente consentiamus, altera tamen ex parte formalem hanc institutionem (quam Germani *Formale Bildung* appellant) in hoc valde laudandam censemus, quod una cum ipso Cicerone Seneca plurimisque aliis concinere videtur: per disciplinas varias scilicet pueros ad humanitatem informandos esse, eisdemque vitae, non scholae discendum (cfr. Cic., *Pro Archia*, 11, 4; Sen., *Ep.* 106, 12).

⁶ Inter alios multos qui hoc contendunt, satis sit hic Nicolai illius Flocchini, doctissimi viri, iudicium referre: duas enim censet ille esse maioris momenti causas, cur linguae Latinae adhuc operam demus: «1. Il latino dà un contributo certo e rilevante all'educazione linguistica in senso lato, costringendo a uno sforzo di formalizzazione e classificazione prezioso per l'acquisizione di strumenti concettuali e di abilità specifiche per uno studio non empirico ma sistematico delle strutture sintattiche, morfologiche e lessicali di altre lingue, prima fra tutte, ovviamente, quella italiana. Educazione linguistica significa, in definitiva, dominio dei meccanismi della comunicazione verbale e dunque del pensiero che si fa parola. In questo ambito ha particolare importanza l'acquisizione di abilità esegetiche e traduttive, considerato che la traduzione comporta in ogni caso non solo un confronto interlinguistico, ma anche interculturale. 2. Il latino dà un contributo certo e rilevante al dominio dei linguaggi settoriali, di quei linguaggi cioè che trasmettono il sapere organizzato, dal momento che per secoli ha costituito per tutta l'Europa il veicolo esclusivo della cultura filosofica e scientifica, garantendo l'universalità e l'esattezza della comunicazione. I linguaggi settoriali nelle varie lingue nazionali non possono che essere intimamente e profondamente permeati di latino, che penetrò con forza sia nel lessico sia nella sintassi anche di lingue non neolatine, quale l'inglese "scientifico", e che continua tuttora a operare assumendo, come

cultum humanitatemque perspecta habeamus⁷. Mihi vero, ut aliquatenus inferius demonstrare conabor, semper persuasum fuit nobis sedulo Latinae linguae operam dandam esse, ut textus lingua Latina per saecula et aetates hominum conscriptos facile et expedite legere possimus, et quasi maiorum nostrorum voces auribus nostris audiamus.

Estne vero lingua Latina mortua an viva? Nonnulli me multo praestantiores ad hoc interrogatum iam haud semel respondere conati sunt⁸; at inter factiones eorum qui Romanorum sermonem omnino effectum et emortuum putant, quasi taetrum ac putrescens cadaver nobis hereditate relictum aut unam e gabbaris in quodam museo squalescentibus pulvere situque obductis, et illos qui e contra Ciceronis linguam iterum in omnium gentium commerciis restituendam atque rursus in usum inducendam esse arbitrantur, mihi quidem medium tenendum esse videtur: non iam enim lingua Latina viget inter gentes populosque nostri terrarum orbis, neque verisimiliter umquam usu redintegrabitur cottidiano; non est tamen infitiandum eam quibusdam occasionibus datis adhuc inter homines doctos usui esse posse, praesertim in omnium gentium conventibus, ubi saepe inter Latinistas variarum nationum tanta linguarum confusio exoritur, quanta vix post Babelicam illam turrim dirutam soloque aequatam⁹. Non tamen hac in re Romanorum sermonis vita constat. Vivit enim haec lingua quod homines natione, moribus, legibus, religione inter sese diversi hoc uno sermonis Latini vinculo quasi quidem humanitatis litterarumque rem publicam condidere, ad quam nobis quoque accedere licebit eorum opera legendo et in eisdem noctes vigilando serenas. Haec est vera linguae Latinae vita: quo enim magis desita est usurpari ab hominibus in vita cottidiana, eo magis in humano cultu vigere coepit, et facta est brevi omnium scientiarum doctrinarumque sermo communis, quo non modo aequalium, sed etiam omnium illorum qui multis ante saeculis in his terris versati erant voces audire licebat. Unde patet futtiles et ineptas esse sententias eorum, qui perperam affirmant omnes recentioris memoriae homines, quibus lingua Latina non fuerit iam inde ab incunabulis sermo patrius ex ipso parentum auditus ore, cum fere omnino ignorent antiquorum Romanorum cottidiani sermonis usum, neque aliud discere queant, nisi

dicono i linguisti, il ruolo di "lingua di superstrato", cioè di una lingua che ha fornito ininterrottamente il maggior contributo alla formazione del linguaggio intellettuale» (N. Flocchini- P. Guidotti Bacci- M. Moscio, *Comprendere e tradurre- Guida per l'insegnante*, Bompiani, Mediolani, 1995, p. 9). Hanc alteram causam — quae certe est maximi momenti, et pertinet etiam ad linguam Graecam discendam — illi quoque attulerunt illustrissimi viri, qui praestantissimis Academiis Italicis intersunt (in documento die VI m. Septembris a. MCMXC in Academia a Furfure rato, cui post breve tempus calculum adiecerunt Lyncaei quoque); potissimum vero de hac re perbelle et scite F. Sabatini tractavit in symbola, quam inscripsit: *Latino, scienza e lingue moderne alla ricerca delle "connessioni" con l'insegnamento dell'italiano* (in: *Per il latino: obiettivi e metodi nuovi*, laud., pp. 119-130). Orestes vero Tappi et Iohannes Sega, quamquam sic dictis tralaticiiis grammaticisque docendi rationibus sibi procul dubio adversari videntur, inopinantes redeunt ad formalis illius rationis principia, cum dicant duas esse causas cur operae pretium sit Latine discere (quod, eorum sententia, fere idem sit atque vertendi facultatem impetrare): «1. Aumentare la propria *competenza linguistica*, allo scopo di usare meglio qualsiasi lingua a cominciare da quella materna [...] 2. Accrescere la *consapevolezza storica* sul proprio mondo e su quello degli altri; se poi, come nel caso del latino, il mondo degli altri è quello in cui affondano molte radici del proprio, si ha un fattore di utilità conoscitiva in più» (G. Sega-O. Tappi, *La traduzione dal latino*, La Nuova Italia, Florentiae, 1993, p. 7). Idem fere P. Wülfing, cum inducit formalis rationis fautores loquentes: «Tu eserciti queste tue facoltà con degli oggetti che, come nessun altro, sono in grado di garantire il successo della tua esercitazione, e poi, come supplemento, acquisirai anche alcune conoscenze del mondo antico, cosa che non è mai uno svantaggio!» et, paulo post: «Ciò che il nostro alunno impara, non è la lingua dei testi latini, non è la lingua di Cicerone o di Virgilio, ma è la lingua di per sé stessa» (P. Wülfing, *op. laud.*, pp. 73-74).

⁷ Praesertim ad mores cognoscendos mentemque Romanorum perspiciendam hortantur C. T. Altan et M. Bettini, in: *Antropologia e cultura classica*, «Aufidus», 3, Atlantica, Fodiae, 1987; Bettini ille scripsit etiam: *Antropologia e cultura romana*, La Nuova Italia Scientifica, Romae, 1986.

⁸ Inter quos principem, mea quidem sententia, locum obtinet Valtherus ille Belardi, a quo totus hic locus perpurgatus est in symbola, quae inscribitur: *Il latino lingua viva o lingua morta?* (edita apud Institutum philologiae Latinae, Perusiae, 1984).

⁹ Quod adhuc in conventibus omnium gentium atque nationum lingua Latina inter eos qui humaniores litteras colunt usui esse possit, satis demonstratum est et Granivici, in Finnia, anno MCMXCVII, et Montellae, in Hirpina Italiae regione, anno insequenti: vide id quod de duobus his conventibus rettulit M. G. Iodice Di Martino in «Atene e Roma», MCMXCVIII, fasc. IV, et MCMXCIX, fasc. I-II.

litterariam quandam linguam nobis per scriptorum opera summo artificio elaborata traditam, omnino a Latine loquendo prohiberi. Non modo enim nobis communis sermonis cottidiani consuetudo sat perspicue elucet ex operibus, qualia sunt, exempli gratia, Plauti Terentiique fabulae, Ciceronis epistulae¹⁰, Petronii dialogi convivarum, qui Trimalcionis epulis intersunt, et, si ad sequioris aetatis auctores descendere non piget, pseudo-Dosithei hermeneumata¹¹ atque Augustini enarrationes in psalmos; verum etiam illud prae nobis semper habendum, nullum scilicet sanae mentis hominem Latine loqui eo consilio, ut iterum Romanorum lingua in cottidianis commerciis restituatur ac vigeat, quasi quidem fieri possit ut salsamentarium adeamus vel lanienam ingrediamur nobis Latine aliquid pernae postulantes: praeter enim quaedam singularia capita (sed omnium opiniones, dummodo ne mali quid ceteris afferant, observandae sunt), fere omnes, qui usum ut ita dicam "vivum" sermonis Latini defendunt, illum sibi praestituunt finem, ut melius et accuratius antiquorum opera intellegant, in sucum et sanguinem suum convertendo et verba, et commissuras, et iuncturas et omnes tandem quasi linguae structuras, simulque eam redintegrent consuetudinem, quae apud humanistas nonnulla saecula vixit: loquendo enim, scribendo et cogitando Latine efficimus ut ea lingua quasi alter nobis patrius sermo evadat, adeo ut non iam maiorum nostrorum scripta, quasi aliena et extranea lingua exarata, nobis magna cum animi contentione interpretanda, perscrutanda, rimanda sint, ut vim verbis subiectam ex tam obscura, caliginosa, tenebricosa aurifodina multum diuque desudantes et elaborantes eruamus; sed fiat tandem sermo nobis et eis, qui ante nos has terras incolere, communis, quo illi nobiscum sua sensa et cogitata communicent¹².

¹⁰ Iam J. B. Hofmann (in: *Lateinische Umgangssprache*, Winter, Heidelbergae, 1926; editio Italica est: *La lingua latina d'uso*, Patron, Bologna, 1981) comicorum Romanorum itemque epistularum Ciceronis linguam sat accurate demonstravit esse revera *vocem Romani generis Urbisque propriam*; cuius conclusiones referuntur et mirabili doctrina confirmantur in L. R. Palmer illius libro, qui *The Latin Language* Anglice inscribitur (ed. Italica: *La lingua latina*, Einaudi, Augustae Taurinorum, 1977, pp. 90-115, in capitulo cui est index: *Il latino parlato: Plauto e Terenzio*).

¹¹ *Hermeneumata pseudo-Dositheana*, ed. Georgius Goetz, *accedunt hermeneumata medicobotanica vetustiora*, (*Corpus glossariorum Latinorum a Gustavo Loewe inchoatum: composuit recensuit edidit Georgius Goetz*, vol. III), Adolf M. Hakkert, Amstelodami, 1965.

¹² Cfr. K.C. Diller, *Generative grammar, structural linguistics, and language teaching*, Newbury House Publishers, Rowley, in Massachusetta, 1971, pp. 67-76 (praesertim cum De Sauzé illum laudat in pp. 75-76: «De Sauzé was convinced that the simultaneous learning of listening, speaking, writing, and reading is very important in language learning. But particularly it is the productive aspects of the language — speaking and writing — that are essential in mastering the receptive aspects of listening and reading. A student cannot have a clear idea of a sentence he hears or reads unless it is a sentence for which he has the grammatical competence which underlies its production... If a student wants real reading power, he must have active control over what he reads. It is for this reason that De Sauzé maintained that the only effective way to attain the goal of a "reading knowledge" of a language is to gain an active mastery of the productive aspects of that language.»); W. Sweet, *Construction of pattern practice in an inflected language*, in: *Studies in language and linguistics in honor of Charles C. Fries*, Follet's Bookstore, Ann Arbor, 1963, pp. 135-153; F. Kempner, *Pattern as Grammar*, in: «Classical Journal», 57 (1961), p. 252: «Since the aim of the most Latin classes is to provide a *reading* knowledge, it may well be asked why so much stress should be put on the *production* of Latin. To ask the students to *produce* Latin rests on the belief that only in this way will he ever make the structure of Latin his own. Until he has achieved this, his reading will be a process of seeking word equivalents in his own language. Such a process surely does not constitute a reading knowledge worthy of the name. The practices suggested here, by going from Latin to Latin, aim to give a reading knowledge in which Latin is understood as Latin.» Charles Fries (in W. Sweet, *op. laud.*, pag. 136): «Unless one has mastered the fundamentals of the new language as a language [...] the process of reading is a process of seeking word equivalents in his own native language. 'Translation' on an exceedingly low level is all that such 'reading' really amounts to.» *Idem*, *Latin for secondary schools*, The State education department, in Albano, 1971, pag. 71: «There is evidence to support the idea that fluency in reading can be appreciably aided when students are first taught to comprehend aurally and to produce orally the basic phonological and grammatical elements of the language. This is one of the major reasons for attention to the development of listening and speaking skills in Latin. Another reason is, of course, that much of Latin literature cannot really be understood or appreciated without a good knowledge of the sound system.» Vide etiam, sis, id quod de hac re scripserunt Georgius Pasquali («Nessuna lingua, neppure una lingua morta, si conosce davvero se non si sa scrivere e in qualche misura parlare»: G. Pasquali, *Pagine stravaganti*, Sansoni, Florentiae, 1968, vol. I, pag. 147), Hugo Henricus Paoli («L'uso esatto delle parole non si impara con la sola lettura, ma scrivendo e parlando»: H. H. Paoli, *Latino sì o latino no?*, in:

Ut recte igitur asseverant quidam doctissimi viri, iidemque linguarum peritissimi, sermo Latinus mortuus est, quod per saecula multa artificio quodam ab hominibus doctis tantum usurpatus est, neque ullum sua sponte admisit incrementum, nisi forte in lexico novis vocibus ditando, quae essent ad novas res deinceps inventas accommodatae. Fere nihil vero immutatum est in formis, nihil fere in syntaxi, quae quidem constantes et immotae per varias hominum aetates manserunt¹³. Nam iam Caroli illius Magni temporibus, et postea inde a Francisco Petrarca, probatissimi scriptores exemplar sibi proposuerunt perfecta quadam et undique absoluta specie, a quo discedere nemo voluit ultro: Latinitatem scilicet optimorum auctorum a Caesare ad argenteam, quae dicitur, aetatem; ne loquar de iis, qui multo artioribus circumscribi finibus contenti, unum Ciceronem praepostera quadam et molestissima diligentia imitari omni nisu studuerunt. In quos, cum iam saepissime a doctissimis viris animadversum sit, non est cur ipse quoque hic saeviam¹⁴. Nam, ut optime quondam scripsit doctissimus vir, cuius amicitia glorior, Cicero thesaurus est, quo pauci honeste uti queunt¹⁵. At illud, quod vitio vertitur Latinitati, vera eius virtus est. Si enim cultus humanitatisque lingua inter sese coniungat oportet homines temporum intervallis inter sese disiectos; si non modo necesse est sit aequalium omnium doctorum hominum

«L'osservatore politico e letterario», m. Dic. a. 1959) et Antonius Garzya («Se è vero che scopo dell'insegnamento liceale e universitario è mettere il discente in grado d'intendere i testi antichi e non di formare dei traduttori-interpreti, non è men vero che a quella intellezione si può giungere sul serio, e più rapidamente, e soprattutto meglio, ove della lingua antica si possenga l'uso *attivo*, non solo quello *passivo*, e poco importa se a costo di scrivere, cosa inevitabile, ma scontata in partenza, dei pezzi di greco (o di latino) non sempre... quali avrebbe scritti Platone (o Cicerone)»): A. Garzya, *Guida alla traduzione dal greco*, UTET, Augustae Taurinorum, 1991, pag. 86. Vide etiam C. Fievet, *Apprendre à comprendre (Réflexions pour une pédagogie nouvelle des langues anciennes)*, in: *Actualité de l'Antiquité*, CNRS, 1991, pp. 205-207: «Comprendre une langue se définit communément comme l'aptitude à saisir immédiatement le sens de phrases nouvelles, orales ou écrites. Il va sans dire que, dans le cas du latin, nous sommes conduits à nous intéresser exclusivement à la compréhension de l'écrit. Il n'en reste pas moins que la lecture authentique — c'est-à-dire compréhensive — se distingue d'une opération de décryptage en ce qu'elle exploite exactement la même compétence que la compréhension de l'oral [...] L'utilisation orale du latin répond en effet parfaitement à notre objectif: elle contraint l'étudiant — contrainte acceptée de bonne grâce et toute pédagogique évidemment — à structurer immédiatement, dans le temp de la parole, un discours qu'il ne peut arrêter pour le dissocier ou le disséquer. Cette technique [...] est conçue comme un entraînement intensif à la reconnaissance immédiate des structures élémentaires dans l'exercice de lecture compréhensive». Ut verum confitear, etiam in actis conventuum in quibus disputatum est de sic dicto *viventi sermone Latino*, vix unus et alter deprehenditur orator, qui usum linguae Latinae vulgo redintegrandum esse arbitretur; plerumque de rebus didascalicis, de optimis scilicet viis rationibusque docendi, quibus discipuli quam primum quamque optime ad scriptores sine animi contentione legendos adduci possint verba fiunt; quidam vero sunt, qui inter doctos viros peculiaribus occasionibus datis (ut, e. g., in conventibus omnium gentium vel in scriptis, quae ultra nostrae ipsius patriae fines divulgari volumus) usum linguae Latinae probabilem esse putent. *Cfr.*, e. g., *Quatrième congrès international pour le Latin vivant*, Aubanel, Avennionne, 1970 (Acta conventus Avennionne celebrati a die I ad III m. Aprilis, a. MCMLXIX).

¹³ *Cfr.* V. Belardi, *op. laud.*, *passim*; sunt qui putent linguam Latinam mediae aetatis quasi alium fuisse sermonem: sed vide, quaeso, id quod optime de hoc loco scripsit K. Sidwell: «It cannot be stated strongly enough that Latin is Latin. It retained its identity throughout the period when it was the main medium for the transmission of intellectual culture. Medieval writers learned it from Late Classical grammars and with a mixture of pagan and Christian texts mostly composed before the collapse of the Roman Empire. Some did not have enough training. Others used it in close interaction with vernacular languages. None of this makes Medieval Latin an independent language» (K. Sidwell, *Reading Medieval latin*, Cambridge University Press, Cantabrigia, 1995, pp. IX-X). Nihil poterat, mea quidem sententia, melius dici. Sed haec est vexata iam diu quaestio; ut plura de ea scias, vide, sis, symbolam Barbarae Spaggiari: *Il latino volgare*, in: *Lo spazio letterario del medioevo. I. Il medioevo latino*, Salerno, Romae, 1992, vol. I, tomo I, pp. 81-119 (copiosus utilissimusque huic commentationi additur index librorum).

¹⁴ Carperunt humanistae *doctores umbraticos* et *simias Ciceronis*, ut Politianus, in *Epistula ad Paulum Cortesium*, Pontanus (v., e. gr., dialogum qui inscribitur *Charon*, ubi ridentur *grammaticunculi* Pedanus, Theanus et Menicellus), usque ad Erasmi *Ciceronianum*, intolerabilem scilicet molestumque Nosōponum, qui similis est Manfurio illi, qui in Iordani Bruni comoedia, quae *Il candelaio* inscribitur agit; saeculis vero XVII et XVIII plurima exstiterunt opera quae ad molestam praeposteramque eruditorum diligentiam et pedissequam Ciceronis imitationem pertinent. Si horum librorum indicem sat copiosum quaeris, vide, sis, H. Nikitinski, *De eloquentia Latina saec. XVII et XVIII dialogus*, Vivarium, Neapoli, MM, pp. 230-233.

¹⁵ H. Nikitinski, *De eloquentia Latina*, laud., p. 32. Hoc libro emendatissimo sermone conscripto ab omni vitio remoto, demonstravit auctor linguam Latinam vel ad maximi momenti opera conscribenda adhuc optime adhiberi posse.

sermo, sed etiam atque praesertim sit lingua qua, ut aiunt, *diachronice* homines mentes suas aperire possint, oportet ne mutetur neve varietur una cum rerum temporumque vicissitudinibus¹⁶. Licet quidem, ut ipse Tullius saepius adseveravit, Latinitatis gazam novis ditare vocabulis, quibus novae res in usum inductae significantur¹⁷; sed averruncet Deus quod linguae structurae formaeque nimium mutantur! Hoc enim iam pridem evenit et lingua Latina vere viva in alias linguas abiit: neque quisquam infitiari potest nos Italos adhuc vernaculo nostro sermone eadem loqui lingua qua maiores nostri uti consueverant; quae quidem progrediente tempore, ut in omnibus linguis quae in usu hominum vigent fieri solet, sensim sine sensu adeo suas mutavit formas ut nunc omnino alia videatur¹⁸. Lingua igitur Latina, qualis Caesaris Ciceronisque temporibus fuit, nunc, si ad communem linguarum trutinam examinanda est, "mortua" est dicenda: sed hac lingua mortua praestantissimi reviviscunt homines mortui: quin immo, numquam ad Orcum demissi, in Ditis limine restiterunt; qui, ea usi, nobiscum adhuc vitalem, ut ait Ennius, vitam viventes¹⁹, sermones serere solent, nobisque suadent, nos monent, nos denique suis orationibus delectant. Neque semper cum eis consentire eisque morem gerere tenemur: licebit enim rixari et quasdam eorum opiniones explodendas ducere; vociferabimur et adversus ea, quae olim recepta fere habebantur, nostra opponemus; nemo nos quin manus conseramus prohibebit, dummodo sincero animo ad Veritatem contendamus: ad quam perquirendam investigandamque ipsi adversarii hostesque nostri stimulo nobis erunt calcariaque addent²⁰. Non potest tamen hunc interserere dialogum cum maioribus nostris nisi qui linguam Latinam quasi suam sentiat, ea cogitet, ea occasionibus datis facile utatur, ea vel litigare valeat. Is unus in intimam linguae indolem penitus penetrare poterit, is vere sermonis color quid sit animo comprehendet²¹. Quid vero de carminibus dicam? Qui enim potest discipulus poetica animadvertere et discernere verba, nisi diutino usu ad vocabula, quae soluta oratione adhiberi solent, aures accommodaverit suas? Quid vero de verborum ordine? Quem vix discipuli nostri percipiunt vim habere praecipuam neque neglegi posse²². Qua vero ratione tiro ad hanc vim penitus sentiendam adduci

¹⁶ Haec est una ex causis cur linguae Latinae usus in constitutione apostolica, quae a verbis *Veterum Sapientia* initium sumit, defendatur: «Neque solum universalis, sed etiam *immutabilis* lingua ab Ecclesia adhibita sit oportet. Si enim catholicae Ecclesiae veritates traderentur vel nonnullis vel multis ex mutabilibus linguis recentioribus, quarum nulla ceteris auctoritate praestaret, sane ex eo consequeretur, ut hinc earum vis neque satis significanter neque satis dilucide, qua varietate eae sunt, omnibus pateret; ut illinc nulla communis stabilisque norma haberetur, ad quam ceterarum sensus esset expendendus. Re quidem ipsa, lingua Latina, iamdiu adversus varietates tuta, quas cotidiana populi consuetudo in vocabulorum notionem inducere solet, fixa quidem censenda est et immobilis; cum novae quorundam verborum Latinorum significationes, quas christianarum doctrinarum progressio, explanatio, defensio postulaverunt, iamdudum firmae eae sint rataeque» (Acta Apostolicae Sedis, LIV, die 31 m. Martis a. MCMLXII, p. 131).

¹⁷ Cic., *De finibus*, 3, 1, 4; 3, 2, 5; 3, 4, 15; *Orat.*, 62, 111.

¹⁸ Cfr. D. Norberg, *Manuale di latino medievale*, La Nuova Italia, Florentiae, 1974, p. 19: «[Il latino parlato] non è mai morto; è cambiato da una generazione all'altra, si è differenziato, e in questa evoluzione ha provocato la nascita delle lingue neolatine o romanze.»

¹⁹ Enn. ap. Cic., *De amicitia*, 6, 22.

²⁰ Recte de hac re scripsit, inter alios, Thaddaeus Zielinski, veterum litteras moresque non esse nobis *normam*, sed *semen*: cfr. T. Zielinski, *L'antico e noi*, Società italiana per l'incoraggiamento e la diffusione degli studi classici, Florentiae, 1910, pag. 123. Bene quidem mihi de hac re scripsisse videtur Bruno ille Gentili quoque (*Cultura umanistica e cultura scientifica oggi*, in: *La didattica del latino e del greco*, edidit G. Pucci, Gangemi, Romae, pp. 17-30; vide praesertim pp. 25-26, ubi de explodenda Jaeger illius mente agit, ex qua tot mala Europae venerunt).

²¹ Vide quid J. Marouzeau de hac re dilucide scripserit: «En effet, quand on a reconnu et catalogué tous les éléments et procédés constitutifs d'une langue donnée à une époque donnée, on n'a fait qu'une grammaire des possibilités, on n'a pas défini une langue réelle. Ce qui est réalité, c'est la langue employée par tel usager dans telle circonstance, c'est la langue qui a pris forme en entrant dans le moule de la parole, la langue soumise au choix de l'usager. La langue apparaît ainsi comme un total, le style comme le résultat d'un choix» (J. Marouzeau, *Traité de stylistique latine*, Les Belles Lettres, Lutetiae Parisiorum, 1946, p. XIII). Si quidem ipsi hac linguam crebro usi erimus, facilius, mea sententia, et altius cur scriptores aliam vel aliam formam elegerint intellegemus.

²² De magno momento ordinis, quo verba in sententiis disposita sunt, vide: J. Marouzeau, *L'ordre des mots dans la phrase latine* (T. I: *Le groupes nominaux*, Lutetiae Parisiorum, 1922; T. II: *Le verbe*, Lutetiae Parisiorum, 1935; T. III: *Les articulations de l'énoncé*, Lutetiae Parisiorum 1949; *Vol. complémentaire*, Lutetiae Parisiorum, 1953, omnes apud Les belles Lettres); eiusdem Marouzeau vide etiam: *Traité de stylistique latine*, laud., pp. 322-335; J. M. Mir, *De*

potest nisi per usum, crebro scilicet scribendo, loquendo, audiendo, legendo? Mirum est de hac re non nisi perraro verba fieri, cum interea miselli pueri in scholis verbum de verbo aegre transferre enitantur vocabulorum constructionem dispositionemque summo artificio elaboratam ex industria dissolventes ut vocem quamque eodem ordine instruant, quo vernaculo suo sermone poneretur!

Ergo, ut ad id, unde discessi, redeam, si verum, immo verissimum est nos nullo prorsus modo posse rationabiliter illum nobis proponere finem, ut discipuli in ludis scholisque Latine expedite et Ciceronis more loquantur, eodem pacto, si sine fraude veritatem persequimur, infitiari nequimus *usum* linguae subsidium esse ac viam maximi momenti ad vocabulorum vires notionesque melius penitusque percipiendas atque addiscendas; qua via vel obscurissima quaeque et intricatissima enodantur perviaque fiunt; quae tandem, ut Ciceronis ipsius verba usurpem, iacerent in tenebris omnia, nisi vivi usus lumen accederet²³.

Praeterea alia quoque de causa linguae usus cum doctrina in scholis copulandus esse videtur: si vere volumus ad plenam perfectamque sermonis Latini notionem discipulos perducere nostros, ii iam inde a principio huius linguae amore capiantur oportet flagrentque simul desiderio discendi. Attamen, quis, nisi si perverso prorsus sit animo, cadaver tabe iam putrescens ac foetens amabit, quod sit tantummodo chirurgice dissecandum ut eius viscera, quasi haruspices, inspiciamus? Quis vero discipulorum, qui artem musicam studiose colunt, modorum amore inflammaretur et arderet, si quidem sonorum gradibus tantum et numerorum scientiae vacaret, ab omni vero musico instrumento arceretur atque adeo cantu ipso prohiberetur? Non omnino prave iudicare videntur quidam, qui haud ita pridem ipsos eruditos umbraticosque doctores perdidisse litteras scripserunt; qui, quasi libitinarii aut vespillones, mortuorum corpora efferunt et per vias urbium baiulant, insignita modulatione canentes suas merces, quas nemo iam emere cupit. Sed si vitium illud, quod in scholis iam Petronius deprehendebat²⁴, effugere cupimus, necesse est vivas discipuli audiant maiorum nostrorum voces; animum suum auresque ad sermonem Latinum ut veram *linguam* intelligendam disponant, qua veteres illi homines nobiscum, nos vero cum illis sensa nostra communicemus amicitiamque, ut Coluccius ille Salutati suadet, iungamus firmissimam²⁵. Hac tantum via, ut mea quidem fert opinio, expedite discipuli integra opera genuino illo sermone, quo scripta sunt, non sine animi delectatione perlegere poterunt. Sin vero aliter fecerint, nihil aliud sibi agere videbuntur, nisi aenigmata solvere Platonis numero obscuriora.

Si adolescentuli *suam* linguam Latinam putabunt, tum optimam civitatis speciem undique expletam et perfectam una cum Thoma Moro, Campanella, Samuele Gott, Iohanne Valentino Andrea, Casparo Stibilino, Ludovico Holberg commentari poterunt; totum terrarum orbem mente animoque peragrabunt cum Villoredo, Petro Iohanne Maffei, Martino Dobrizhoffer, Francisco Du Creux; rerum naturam investigabunt cum Linneo, Raio, Gesnero; in sinum philosophiae se compellent cum

verborum ordine in oratione Latina. Pars I, in: «Latinitas» 18 (1970), pp. 32-50; *Pars II*, in: «Latinitas» 18 (1970), pp. 101-119; C. Calvano, *Verborum ordo in Latino sermone*, in: *Academiae Latinitati fovendae Commentariis*, serie altera, V-VI, Herder, Romae, 1995, pp. 95-123.

²³ Cfr. Cic. *Pro Archia*, 6, 14. Quae confirmantur etiam testimoniis magistrorum, qui hanc viam ingressi, ipsi melius et altius intelligere coeperunt scriptorum Latinorum opera: vide, e. g., quod Martha G. Abbott scripsit: «The surprising result for me as a teacher is that my own reading and understanding of Latin increased after that experience. There were obviously other senses and skills that I had never used to reinforce my own comprehension of the language, skills that took me from simply *translating* to really being able to *read* Latin. If we expect our students to develop true reading ability in Latin, we must use whatever learning modes work best for them» (M. G. Abbott, *Trends in Language Education: Latin in the Mainstream*, in: *Latin for the 21st century: from concept to classroom*, ed. R. A. LaFleur, Scott Foresman- Addison Wesley, Glenview, in Illinoesia, 1998, p. 38).

²⁴ Cfr. Petr., 1, 3: *Ego adolescentulos existimo in scholis stultissimos fieri, quia nihil ex his, quae in usu habemus, aut audiunt aut vident.*

²⁵ Col. Salut., 1, 129; 3, 317: *Quippe cum, propter virtutem et probitatem, etiam quos numquam vidimus, quodammodo diligamus [...] Sufficit enim ad amicitiae glutinum opinio famaue virtutis, quae potentissima ratio est, ut, inter absentes et numquam visos, amicitiae vinculum oriatur.*

Sancto Thoma Aquinate, Iordano Bruno, Cartesio, Leibnizio, Spinoza, Iohanne Locke, Vico; rerum gestarum vicissitudines anxio et sollicito animo persequuntur cum Orosio, Paulo Diacono, Famiano Strada; caelum astris distinctum et ornatum suspicient et stellarum motus constantes ac ratos cum Galilaeo, Keplero, Copernico contemplabuntur; iuris rationes indagabunt cum Grotio, Cuiacio, Duareno; physicam disputandi subtilitatem et mathematicam scientiam a Cartesio, Neutonio, Eulero, Gauss sibi comparabunt; ad Dei cognitionem et experientiam per mentis excessum a Bernardo, Hugone a Sancto Victore, Villedelmo a Sancto Theodorico, Bonaventura quasi manu ducentur. Cito igitur intelligent multo latius Latinitatis fines patere quam artos Romanorum imperii terminos; laetabuntur sane se potitos esse clave, qua omnes arcae thesaurorum plenas aperiri possunt; qua omnes aedium ianuae panduntur, in quibus humanitatis nostrae luculenta monumenta servantur. Ut hoc vere impetremur viam iam diu ab humanistis stratam emetiri licebit; quam hic illic restituemus nova materie, calce, silice, caemento, quae nobis a peritis hominibus, qui hanc provinciam recentius pervestigavere, copiose suppeditantur²⁶. Quam viam commostravit Aelfricus, persecuti sunt alii haud pauci iam Media, quae dicitur, aetate, omnibus tandem aperuerunt Paulus Nivis, Erasmus, Vives, Corderius, Iesuitae quam plurimi, Comenius ille, Ioachim Lange, Posselius ceterique innumeri docti viri, quos hic nominare longum est. Neque umquam tantummodo grammaticis praeceptis ediscendis atque locis ex Latino in vernaculum vertendis se dederunt discipuli usque ad recentissimum illud tempus, quo philologa quaedam farrago castra nostra occupavit et tenuit²⁷. Et ex eo tempore discipuli minus minusque *linguam* discere coeperunt, et linguae cognitio ea facultas habita est, qua declinare et coniugare possumus²⁸. Sint vero *usus* et *doctrina*, rationes grammaticae et cottidiana assiduaque exercitatio quasi duo pedes, quibus stare, ambulare, currere valeant discipuli; duo pulmones, quibus aera spiritu ducant; duae tandem alae, quibus ad summum usque caelum sublime se levant.

²⁶ Nostri temporibus, exempli gratia, facile comperire possumus quae verba apud veteres scriptores usitatissima essent, neque pauca sunt ad hunc usum exarata lexica, ut G. Lodge, *The vocabulary of high school Latin*, Teachers Coll., Novi Eboraci, 1907; P. B. Diederich, *The frequency of Latin words and their endings*, The University of Chicago Press, Sicagi, in Illinoesia, 1939; Maurice Mathy, *Vocabulaire de base du latin*, Editions O.C.D.L., Paris VIIe, Lutetiae Parisiorum, 1952; *A basic Latin vocabulary*, published for the Orbilian society by Centaur books, IV editio 1956 (I editio 1949); D. Gardner, *Frequency dictionary of classical Latin words*, Stanford University, 1971; L. Delatte, Et. Evrard, S. Govaerts, J. Denooz, *Dictionnaire fréquentiel et index inverse de la langue latine*, L.A.S.L.A (Laboratoire d'analyse statistique des langues anciennes), Université de Liège, Leodii, 1981; G. Cauquil-J.Y. Guillaumin, *Vocabulaire de base du latin (alphabétique, fréquentiel, étymologique)*, ARELAB, Vesontione, 1984 (nuper etiam in Italia editum est hoc lexicon cura et studio Francisci Piazza, *Lessico essenziale di latino*, Cappelli, Bononiae, 1998); E. Riganti, *Lessico latino fondamentale*, Pàtron, Bononiae, 1989. Cfr. etiam: L. Stupazzini, *Il valore del lessico in rapporto alle abilità di comprensione e traduzione* in: *Didattica breve-Materiali 4 (latino)*, ed. F. Piazza, I.R.R.S.A.E. regionis Amilianae et Romaniolae, Bononiae, 1997, pp. 64-116.

²⁷ Cfr. L.G. Kelly, *25 centuries of language teaching (500 b.C.-1969)*, Newbury house publishers, Rowley, in Massachusetta, 1976, p. 53: «Grammar Translation did not enter classical language classes until the first decade of the nineteenth century. The practice seems to have come from the Prussian school system: an American classics teacher, B. Sears, published a method based on the "Prussian system" in 1845. The procedure consisted of learning the rules and then drilling them by translating snippets of Cicero. Composition and reading were excluded, as those did not encourage a word-for-word knowledge of the rules, and as, at times, Cicero is most unciceronian. With the appearance of the Ollendorf grammars for Latin and Greek the victory of Grammar Translation was complete.»

²⁸ *Ibidem*: «The growing exactness of philological studies was reflected in the increased formalism of his grammatical description. Language teaching drifted further from the languages taught by reason of the abandonment of authentic specimens of literature for synthetic passages that were built around rules, exceptions, and restricted vocabulary selected for its congruence with grammatical rules. Language skill was equated with ability to conjugate and decline.»

2. De ratione Orbergiana

Haec praefato mihi liceat confiteri omnibus fere in Europae scholis litterae infeliciter neglectas iacere, et admodum paucos esse discipulos qui sat firmam sibi comparant linguae Latinae vel Graecae notitiam; quin immo saepissime nihil aliud antiquorum sermonum studio in eis pari solet, nisi implacabile quoddam odium erga thesauros illos, qui nobis a maioribus per has linguas traditi sunt. Hoc est vero dedecus aeternum nostrum: si discipuli post duos tresve annos quibus linguae Latinae operam dederint expedite legere opera Latine scripta nondum valebunt, revera, ut linguarum classicarum hostes ubique dicitare solent, supervacanea et vitiosa videbitur institutio nostra. Quamobrem necessario ingrediendae sunt viae novae, quibus viis illum finem — expedite scilicet, et sine animi contentione legendi opera Latine scripta — consequi valeamus.

Ipse pro meo modulo multas docendi rationes sum singulis annis expertus; nulla tamen mihi tam efficax tamque utilis visa est, quam Orbergiana methodus²⁹. Ea igitur docendi via rationeque quintum et decimum iam annum utor; et in dies melius meliusque ea uti disco.

Haec acroasis (quam potius velim sit viva quaedam docendi demonstratio) inscribi debuit «Latine loquamur, quo melius Latinos textus intellegamus»; et fortasse hoc mirum quibusdam visum est: quid enim interest inter Latine loqui et Latine intellegere? Ut enim supra dixi, plurimi haud ignobiles viri docti novissimis annis omni modo enixi sunt demonstrare non iam esse opus in scholis nostris scribere vel loqui Latine, cum finis, quem hodie omnes Latinae linguae magistri sibi praestituerint ille tantummodo sit, ut discipuli Latina scripta intellegant. Quin immo haud pauci sunt qui omnibus viribus contendant omni modo esse vitandum ut discipulos ad Latinas sententias vel in scriptis vel praesenti sermone proferendas hortemur, quippe cum falsa sit docendi via, quae ad falsam Latinitatem perducatur; lingua enim Latina sit tantummodo ea, quae nobis tradita est a maioribus nostris, qui cum lacte nutricis hunc suxerunt sermonem et eo recte in operibus suis usi sunt. Vidi etiam in Gallia recentissimis temporibus nonnullos fuisse, qui adversus vivas docendi methodos suis in libris vehementissime invexerint, quasi necesse esset cum hac immunda loquendi Latine peste strenue pugnare ad discipulorum nostrorum linguae castitatem defendendam, ne obscaenis his experimentis corrumpetur.

Scilicet, ut supra dixi, aliqua ex parte alius est finis eorum qui linguam Latinam docent, alius eorum qui linguas peregrinas tradunt, quae adhuc in usu hominum vigent. Hi enim ante omnia efficere volunt, ut discipuli sua sensa suasque necessitates externa lingua exprimere valeant; illi vero, ut scriptos textus sine magna difficultate intellegere possint.

Attamen, ut optime demonstraverunt doctissimi viri (in quibus D. Kelly, K. C. Diller, De Sauzé, Kempner plurimique alii, quos supra laudavi), aliud est ex Latino in sermones vernaculos interpretari magno cum labore et lexicis identidem adhibitis, aliud est Latine legere et intellegere; necesse esse et scribere et loqui, ut optime intellegamus sive audiendo sive legendo; non esse aegre transferendos textus ex altera in alteram linguam, sed recta Latine legendos. Si discipulus assuescit Latine loqui et Latine scribere, is post breve tempus et Latine cogitare discit; et multo facilius non modo verba, vocabula et grammaticas normas memoria

²⁹ Revera inter optimos libros institutorios adnumerandus mihi esse videtur Iohannis illius Ørberg *Lingua Latina per se illustrata* (pars I: *Familia Romana*; pars II: *Roma Aeterna*, Domus Latina, Grenaa, 2000; *Exercitia Latina*, Domus Latina, Grenaa, 1998; *Colloquia personarum*, Domus Latina, Grenaa, 1998. In Italia editur praeterea eiusdem auctoris, *Lingua Latina per se illustrata: Latine disco*, Academia Vivarium Novum, 1999 (quo continentur *Colloquia*, *Enchiridion discipulorum*, *Exercitia*, *Phonetica*, *Morphologia* et *Syntaxis Latina*. Academia Vivarium Novum nuncupata omnia huius seriei volumina in Italia distribuit).

tenebit et continenter exercebit, verum etiam altius et profundius in intimam linguae indolem quam citissime penetrare poterit.

Utamur ergo lingua viva in scholis, non ut exeunte curriculo discipuli nostri perfecti et omnibus numeris absoluti oratores Latini evadant (quod non pertinet ad nos), sed quo melius, accuratius et citius tantam linguae scientiam tantumque dominatum consequantur, ut nullo lexico adhibito nulloque libro grammatico perpetuo ad manus habito thesauros illos, qui nobis a maioribus nostris traditi sunt, facile aperire valeant. Lingua enim Latina est quasi clavis, qua omnes fere gazae omnesque pretiosissimae arcae quibus humanitatis Europaeae opes continentur ante oculos nostros mirabiliter patescunt.

Usus vero linguae Latine, sive per exercitationes scriptas, sive praesenti sermone, sit nobis tantummodo *subsidium* et *via*, seu, ut scholastici loquuntur, *medium*, non meta; quo *medio* ad verum et unicum finem nostrum facile perveniamus: bene scilicet, accurate, expedite et alte intelligendi scriptores qui Latine opera sua exaraverunt. Per usum vivum normae grammaticae, vocabula, syntaxis, verborum iuncturae et commissurae tam diu et tanta velocitate exercendae sunt cottidie, ut tandem quasi sponte e memoriae penu profluant; neque iam lingua cadaver videbitur dissecandum, cuius nemo amore flagrare potest, neque musei cuiusdam monumentum pulvere situque obductum, sed corpus vivum et vitale, floridum et vere nostrum.

Si quis, praeterea, perpetuo necesse habet ex Latino in suum vernaculum convertere sermonem id quod scriptum Latine videt, is revera non legit opera Latina, sed aegre interpretatur. Neque vere convertit qui non intellegit: ut enim probe Martinet ille, doctissimus vir, demonstravit, nihil aliud est convertere ab altera ad alteram linguam, nisi re-cogitare et alia forma verbis exprimere id quod iam intelleximus. Nostri vero discipuli plerumque non intellegunt, ut vertant, sed vertunt, ut intellegant. Quod est omnino absurdum.

Non sunt videlicet praetermittendae neque minoris momenti habendae normae grammaticae: sed doctrina et usus ita inter se copulanda sunt, quasi sint duo crura, quibus procedere, ambulare et currere possimus, vel duae alae, quibus volare liceat, vel tandem duo pulmones, quibus aera spiritu ducamus. Per usum vivum non depauperatur institutio Latina, sed e contra ditescit valde.

Quinimmo saepe tralaticiiis methodis fit, ut normae in libris grammaticis pertractentur, sed post paucas sententias in propriam linguam conversas, non iam exercentur et oblivione obruantur; hac vero methodo, quam proponimus, cottidie discipuli et legendo, et scribendo, et audiendo et loquendo plurimas, ne dicam omnes regulas grammaticas uno conspectu in promptu habeant oportet eademque velocissime adhibeant.

Praeterea discipuli delectantur vehementissime: et, ut Horatius nos docet, *omne tulit punctum qui miscuit utile dulci*. Iam vero Divus Augustinus animadvertit quantum difficultates grammaticae quasi felle aspergerent litterarum suavitates, et hortabatur magistros ut, naturae viam rationemque secuti, inter blandimenta et ioca linguas docerent discipulos suos. *Et veluti cum pueris absynthia taetra medentes dare conantur, prius contingunt oras poculi mellis dulci flavoque liquore*, sic nos alliciemus per iucundas quasdam exercitationes legendi, loquendi scribendique discipulos nostros, ut eis inscientibus omnes amaritudines grammaticorum praeceptorum propinemus.

Vocabula, quae et in textibus legendis, et in colloquiis plerumque adhibentur ea potissimum sunt, quae, investigationibus a doctissimis viris factis, omnium frequentissime et creberrime a scriptoribus antiquis usurpata esse comperta sunt. Haec verba continenter iterum saepiusque repetuntur, adeo ut mentibus animisque discipulorum infigantur atque ibidem inhaereant.

Post unum annum et dimidium a facillimis textibus et puerilibus sententiis summo artificio connexis et copulatis in integrae narrationis formam, ad veros scriptores Romanos facile pervenitur: et magister gaudet spectando discipulos suos quindecim vel sedecim annorum expedite legentes Livium, Ciceronem, Nepotem, plurimosque alios.

Hac acroasi velim praesertim magistri suis oculis videant suisque auribus audiant quomodo in docendo Orbergiana methodo procedatur in schola: varia igitur Orbergiani libri capitula obiter percurram, ut omnes videant quomodo parvuli adolescentuli qui primum et secundum tantum annum Latine discunt, iam satis bene non modo ad legendos textus Latine conscriptos non quidem facillimos, verum etiam ad intelligendum magistrum loquentem perveniant; quin et ipsi aliquatenus Latine nisi loquuntur, saltem balbutiunt. Comenius ipse enim monebat necesse esse *primum Latine balbutire, dein Latine loqui*.

Proponam igitur exempla scholarum; monstrabo quo modo hortari soleam discipulos ut summatim et breviter perstringant id, quod singulis capitulis continetur; quo vero pacto eos interrogem Latine, ut Latine respondeant; omnibus monstrabo exercitia quae illi scripta in schola perficere solent.